

§ 9: Febr: 1623 de

Ser.^{me} Rex.

307
~~306~~

1102.

Maiestati Vestrae cupio ego, uti etiam debeo, magnopere inseruire. Propterea nullam, quae mihi sese offerat, meae huiusce propensae, et deuinctissimae uoluntatis declarandae, occasionem praetermittit. Nuper hic in urbe qui Procurator generalis Religionis Augustinianae erat, cessit e uita. Itaque eo uacante munere, praeclearo sane, et expetendo, cum post Generalatum prima sit dignitas, rem ego ita suscepi, et gessi, ut, quanquam Patres plures, ac singuli quidem idonei, et uirtute conspicui locum hunc atq. honorem appetere, atque, ut assequi possent, eniterentur, eum tamen, me sibi auxiliante, adeptus sit R. Pater Andreas Cortunensis Regens, quem M.^{ty} Vestra suis litteris mihi commendauit. Expertus est ergo, ex quo Maiestas Vestra de illo ad me scripsit, quam ualde mea erga se beneuolentia aucta sit. Quod alijs quoque in rebus in dies perspiciet. Neque enim ei fauere desistam. Interim cum M.^{ty} Vestra me uere sibi addictum esse sentiat, illud rogo efficiat, ut sua ad me persaepe mandata perferantur. Precor uero Deum optimum Maximum, ut M.^{tem} Vestram felicem, atq. incolumem diutissime regnare bono etiam atq. ornamento Christianae fidei faciat. Roma die 9. Februarij 1623.

Ser.^{mae} M.^d Vestrae

Addidimus seruitor
Ant.^{us} Carol^{us} Faulinus.

320

Cardinal's of 1623